

**Dissertatio inauguralis chirurgico medica sistens historiam rariorem mammae cancrosae, sanguinem menstruum fundentis, methodo simpliciore sanatae ... / [Christian Peter].**

### **Contributors**

Peter, Christian.  
Sigwart, Georg Friedrich, 1711-1795.  
Universität Tübingen.

### **Publication/Creation**

Tubingae : Litteris Sigmundianis, [1763]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/kfzk5ue3>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGVRALIS CHIRVRGICO-MEDICA  
S I S T E N S

HISTORIAM RARIOREM  
MAMMAE CANCROSAE,  
SANGVINEM MENSTRVVM FVNDENTIS,  
METHODO SIMPLICIORE SANATAE.

---

QVAM  
DEO CLEMENTER IUVANTE,  
PERMISSV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS,  
PRAESIDE

VIRO EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO,  
DOMINO

GEORGIO FRIDERICO  
SIGWART,

PHIL. MED. ET CHIR. D. HVIVSQUE ET ANAT. P. P. O.  
ORD. MED. SEN. ET MED. AVL. WIRT.

P R O  
GRADV DOCTORIS IN MEDICINA ET CHIRVRGIA

D. *Mart. 1763.*

H. L. Q. C.

P V B L I C E D E F E N D E T

AVCTOR

CHRISTIANVS PETER, *Lithopolitano - Helvetus,*

PRAEFECTVS CHIRVRGORVM LEGIONIS WIRTEMBERGICAE,


QVAE A SERENISSIMO PRINCIPE LVDOVICO

NOMEN HABET.

---

TVBINGAE, LITTERIS SIGMVNDIANIS.










## HISTORIA MORBI

 **H**onestae profapiae femina, temperamenti cholericomelancholici, lautae diaetae adsueta, aliquot iam liberorum mater, triginta circiter annos nata, incidebat in suppressionem mensium. Aliquanto post sentiebat in mamma dextra oriri tumorem duriusculum, quem, utpote doloris expertem, per plures annos negligebat. Crescente autem sensim illius mole, opem ab obstetrice petebat, quae ipsi emplastrum quoddam tumori imponendum suadebat. Continuabatur satis diu usus huius emplastri, sed eventu minus secundo. Tumor quippe benignam & mitem suam indolem paullatim exuebat, indolentiamque sequebatur dolor, cuius impatiens aegra emplastrum abiiciebat, neque ulla deinceps alia adhibebat remedia. Neglecta sic medicatione, variisque interim commissis diaetae erroribus, tumor tandem abibat in ulcus, quod cum dolore lancinante & pruritu fere intolerabili coniunctum erat, in-





termixtis passim venulis, atro cruore turgentibus, tandemque saniem ichorosam summe foetidam, ac partes vicinas erodentem, plorabat. Vbi id cum primis memorabile erat, quod eo temporis articulo, quo antea fluxum menstruum experta erat, nunc papilla mammae exulceratae sanguinem, colore loturae carniū similem, per tres, quatuor, quinque dies, singulis mensibus satis copiose profundebat. Vocabantur in auxilium Medici & Chirurgi, qui dirum hunc hostem variis remediis, sed frustra, oppugnabant. Malum in dies augebatur, ulcusque latius serpens totam viciniam ita devastabat, ut nemo non res aegrotae pro conclamatis haberet. In miserrimo hoc rerum statu aegra, annum aetatis quadragesimum quartum tunc agens, me arcescebat, & ut malo huic manum medicam admitterem, enixe rogabat. Exploratis & perpenſis omnibus momentis, parum quidem bonae spei polliceri poteram, sed religioni tamen mihi ducens, aegrotam deferere, curationem, implorato prius divino auxilio, adgrediebar.

Ratione *dietae* ipsi severe inculcabam, ut eam quam exactissime observaret, aëre uteretur puro & temperato, cibis vesceretur concoctu facilibus, non nimis nutrientibus, iisque ex vegetabili potius, quam animali regno petitis, potulenta spirituosā & facile fermentescentia cane peius & angue fugeret, omnia nimia corporis exercitia, nominatim ea, quae brachiorum ministerio peraguntur, vitaret, nec nocivis illis animi pathematibus, irae & maerori, indulgeret, sed  
men-



mentis tranquillitati atque hilaritati sedulo studeret. Ad ipsa *medicamenta* quod attinet, praemisso leni laxante rhabarbarino, decoctum ex ligno & cortice guaiacino, rasura cornu cerui, & radicibus bardanae, chinacinae ac saponariae ordinabam, cuius integram libram, instillatis prius mixturae, ex essentia myrrhae non alkalisata & tinctura antimonii acri constantis, guttis quinquaginta, quotidie mane calide hauriret, decocto quoque secundo pro potu ordinario uteretur. Singulis hebdomadibus bis terve aluum subducebam pilulis Beccherianis, ad praescriptum pharmacopoeae Argentoratensis paratis. Extrinsecus pro fotu adplicabam acetum lithargyrii, partesque exulceratas mere deligabam linamentis carptis ficcis. Methodo hac per aliquot hebdomades continuata, id obtinebam, ut ichoris copia sensim imminueretur, partes putredine corruptae paulatim abscederent, & tandem pus laudabile proflueret. Quo viso, ulcuscula unguento digestivo, ex terebinthina veneta, olibano & myrrha composito, mundificabam, mundificataque ope balsami Arcaei, cum balsamo peruviano nigro remixti, feliciter consolidabam. Atque hoc pacto miseram aegrotam duorum circiter mensium spatio perfectae sanitati restitui, qua adhuc ultra integrum iam biennium perfruitur.

§. I.

Exposita morbi historia, nostrum est, ut praecipua momenta, tum ad pathologiam, tum ad therapiam illius spectantia, breviter & succincte, pro virium nostrarum modulo, explanare atque illustrare adlaboremus.





§. II. Initium morbi tale fuit: *Senfit aegra in mamma dextra oriri tumorem duriusculum, eumque doloris expertem. Laboravit igitur scirrhus mammae.* Scirrhus enim, auctore GALENO *a)*, qui, quantum constat, primus hoc vocabulum adhibuit, est ὄγκος σκληρὸς ἀνώδυνος, *tumor durus, indolens.* Accidit hic morbus maxime partibus glandulosis a materia crassa immobili, glandularum folliculos distendente *b)*. Vnde ratio patet, cur mammae muliebres tam frequenter ab hoc malo infestentur, structurae quippe glandulosae, copiosisque praeterea & valde quam angustis vasis sanguiferis, lymphaticis & galactophoris, in multiplices spiras & plicas convolutis, contextae, ubi quam facillime fit, ut humores stagnent & colligantur, resorptaque parte fluidiore aquea, reliqua materia crassior terrestris, iugi novorum humorum adfluxu aucta, tandemque magis & magis coagulata & indurata, immobilis subsistat.

*a) de simpl. medicam. facult. Lib. V. cap. VIII. & Meth. med. Lib. XIV.*

*b) Vid. BOERHAAVIUS Aph. de cogn. & cur. morb. 392.*

§. III. Scirrhi plerumque sine ulla graviore noxa per plures annos, immo ad extremam usque senectutem, perdurare possunt: irritati autem & moti quocumque modo horrendae tragoediae scenam aperiunt. Sunt nimirum ex illorum malorum familia, de quibus OVIDIVS *a)* canit:

*Curando fieri quaedam maiora videmus,  
quae melius non tetigisse fuit.*

Suo id malo experta est aegrota nostra, suasu obstetricis mammae scirrhusae *emplastrum* imponens. Quale illud fuerit, comperire non potui. Emolliens autem fuisse, eo minus dubito, quo crebrius observare mihi licuit, male feri-  
riatas



riatas istius furfuris medicastras, earumque fratres germanos, tonsores, in quibuscumque tumoribus duris statim vel ad cataplasmata, vel ad emplastra de spermate ceti, diachylon simplex vel compositum, ac similia, tamquam ad sacram ancoram, confugere. Nullum vero esse posse remediorum emollientium in scirrhis usum, facile perspiciet, quisquis illorum effectus cum horum indole comparaverit. Emollientium remediorum effectus duplex est. Aut enim materiam alicubi stagnantem resolvunt, aut, si hoc fieri nequit, eam perducunt ad suppurationem. Vterque effectus a vi arteriarum dependet. Sine vividiori enim humorum circuitu neutrum sperare licet. Sed heic exultat vis arteriarum, materiae scirrhosae adplicanda, utpote in stagnans coagulatum atque induratum agere nescia *b*). Facile igitur adparet, in scirrhis perfectis (de nascentibus enim sermo nobis non est) neque resolutionem, neque suppurationem, umquam locum invenire posse: id quod etiam experientia testatur, qua constat, tumores scirrhosos, remediis emollientibus tractatos, nulla ratione molliores reddi, sed pristinam semper duritiem servare.

*a) Pont. Lib. III. Eleg. VII.*

*b) Conf. GERLACI Comment. de cura canceri, in mamma exulcerati, possibili, exsulante chirurgica operatione. §. VII.*

§. IV. Utinam vero sinistra haec remedia in hoc uno subsisterent, ut spem de se conceptam frustrarentur! Utinam ne essent summe nociva! Sed eo ipso, quia cutem & substantiam glandularum relaxant, materiam scirrhosam, in iis incarceratam, molliorem reddunt, & motum sanguinis intendunt, pronam ad horrenda mala muniunt viam. Tumor quippe tum in dies magis magisque crescit, & dolere incipit, fitque plumbeus, fuscus, ater, vasa vicina ad marginēs





gines illius inflammantur, similem colorem induunt, valde intumescunt, & varicosa evadunt, sicque, qui *benignus* antea fuerat *scirrhus*, in *malignum* convertitur, & vocatur *cancer*, s. *carcinoma*. Infelix haec scirrhi suboles, quam diu suis adhuc inclusa coërcetur velamentis, adpellatur *cancer occultus* a). Vbi autem illa erodit, & ulcus facit, dicitur *cancer apertus*. Manifesto tunc atque celeriter efferatur morbus, accedente dolore intolerabili, promanante perpetuo sanie subtili, fulva vel nigra, acerrima, foetoris detestabilis cadaverosi, quae ad proxima quaeque & viciniora malignas suas radices emittit, ambientia vero arrodit, plurimisque foraminulis, continuum ichorem plorantibus, pertundit b).

a) Sunt quidem, qui hanc adpellationem ad internarum tantum partium, v. c. uteri, carcinomata restringunt, ut PHILOXENVS quidam apud AETIVM *Tetrabibl. IV. Serm. IV. Cap. XLII.* Sed, quum omnes hodie Medici & Chirurgi, ipso HIPPOCRATE & GALENO praeuentibus, per *cancrum occultum* eum intelligant, qui a cute adhuc integra occultatur, a recepto in scholis loquendi, usu recedere nefas duximus.

b) Vid. BOERHAAVIUS *loc. cit. Aph. 497 & 499.*

§. V. Ex descriptione utriusque canceri, levi penicillo haëtenus adumbrata, & cum historia morbi nostri vel obiter collata, nemini, puto, dubium esse potest, quin aegrotata nostra *vero mammae carcinomate*, eoque primurn *occulto*, postmodum autem in *apertum* s. *exulceratum* converso, laboraverit. Quare ne verbulum quidem addimus.

§. VI. *Nosologicam* morbi nostri considerationem ex-  
cipiat *aetiologica*. *Causam canceri* huius *exulcerati* non aliunde repetendam esse censeo, quam a *fluxus menstrui suppressione*. Aliquanto enim post, quam in hanc incidit, scirrhum in mamma obortum sensit. Et quis ignorat, frequentissima carcinomatum, ex hac ipsa matre prognatorum, exempla



pla passim ab Auctoribus memoriae esse prodita? *Mammaram cancos* diserte hinc deducit HIPPOCRATES a), dum, de *catameniorum suppressorum symptomatibus* differens, ait: *In mammis tubercula dura exoriuntur, quaedam quidem maiora, quaedam vero minora. Haec autem minime suppurant, sed semper duriora fiunt. Ex his deinde occulti cancri pullulant. Eadem fere habet GALENVS b), ita scribens: Cancrosi tumores in omnibus partibus fiunt, praesertim tamen in mammis mulierum, quum nullatenus purgantur ea, quae secundum naturam est, purgatione. Eamdemque carcinomatum causam inter praecipuas recensent ALBERTI c), AMMANNVS d), BOERHAAVIUS e), CRAUSIUS f), FASCHIVS g), HEISTERVS h), HILSCHERVS i), HOFFMANNVS k), MOEBIVS l), PLATNERVS m), SCHAARSCHMIDTIVS n), SCHNEIDERVS o), TEICHMEYERVS p), WEDELIVS q), aliique plurimi, quos brevitatis causa silentio praetermitto.*

a) *de morb. mulier. Lib. II.*

b) *Comment. III. in libr. de alim.*

c) *Diff. de cancro. §. VI.*

d) *Diff. de cancro mammarum. §. XIV.*

e) *Loc. cit. Aph. 495.*

f) *Diff. de cancro. pag. 14.*

g) *Diff. de cancro occulto. Cap. IV. pag. 13.*

h) *Diff. de optima cancrum mammarum extirpandi ratione. pag. 11.*

i) *Diff. de cancro mammarum. §. XXXIV.*

k) *Medic. system. Tom. IV. Part. V. Cap. VI. Thes. pathol. XIV.*

l) *Diff. de cancro. pag. 11.*

m) *Instit. Chirurg. §. 282.*

n) *Anweisung zum Studio medico-chirurgico. Part. III. Sect. XXXI. §. 7.*

o) *Diff. de cancro. Cap. VI. §. IX. & Cap. VII. §. IV.*

p) *Diff. de cancro, in specie mammarum. §. XXVIII.*

q) *Diff. de cancro mammarum. §. XXXVII.*

§. VII. Nec difficulter intelligitur modus, quo fluxus menstruus suppressus cancrum progignere potest. Sanguis,  
B in





in utero accumulatus, & per loca consueta excerni impos, ad alias partes regurgitat, & deinceps ob motus languorem spissior & viscidior, adeoque ad statim hinc inde concipiendam idoneus redditur. Quod si iam ad loca glandulosa deferatur, in iisque subsistat, facile scirrhum progenerat, ex levissima causa in carcinoma degenerantem.

§. VIII. Sequitur, ut rationem reddamus rarioris illius phaenomeni, in aegrotata nostra observati, quod, simul ac cancer occultus in apertum transierat, eo temporis articulo, quo catamenia ipsi antea fluxerant, ex papilla mammae exulceratae sanguis, colore loturam carniū referens, per trium, quatuor, quinque dierum spatium, singulis mensibus in magna quantitate promanavit.

§. IX. Ante omnia quaeritur, qualis fuerit hic sanguis. Partes, carcinomate exulcerato obsessas, largis, immo adeo enormibus haemorrhagiis spontaneis, interdum esse obnoxias, ut miseri aegroti animam exhalent, frequens Medicorum atque Chirurgorum testatur observatio *a)*. Accidunt illae per *διάβρωσιν*, quando nimirum sanies illa acerrima, quam pars cancrofa profundit, vas aliquod, sive arteriosum, sive venosum, corrodit. De hoc haemorrhagiarum genere sanguinis profluxum, quem aegra nostra perpessa est, haud fuisse, per se luculenter patet. Primum enim sanguis non promanavit ex vasis, sed ex papilla. Deinde cur recursus huius haemorrhagiae statur semper servavit periodos? Ex hoc uno, nisi me omnia fallunt, sole meridiano clarius adparet, aegrotatae nostrae haemorrhagiam ad eas, quae cancris exulceratis alias accidunt, neutiquam esse referendam. Indidem etiam exploratum est, eam non fuisse ichorem illum *ὑδαίμων*, *subcruentum*, quem, exorto in thorace carcinomate, subinde ex papilla effluere, ex HIPPOCRATE monet WEDELIVS *b)*.

*a)* Vid.





- a) Vid. AMMANNVS *Disp. cit.* §. XVII. BOERHAAVIUS *loc. cit.* Aph. 499. Ill. BUCHNERVS *Disp. de medicamentorum mercurialium usu in cancro.* §. IV. LEICHNERVS *Disp. de cancro.* Cap. IV. Th. V. NEVENHAHN *Disp. de carcinomatibus malignitate eiusque cura.* §. XI. TABOR *Disp. de cancro mammarum, eiusque nova exstirpandi methodo.* §. XV. WELSCHIVS *Disp. cit.* §. IX. ali.
- b) *Disp. cit.* §. LXIII.

§. X. Omnia haemorrhagiae huius momenta liquidissime docent, sanguinem illum promanantem alium non fuisse, quam menstruum. Fluxit enim singulis mensibus. Fluxit iisdem mensis diebus, quibus catamenia ante fluxerant, quam in illorum suppressionem incideret. Fluxit nunc per tres, nunc per quatuor, nunc per quinque dies, eadem prorsus ratione, qua tum, quum integra sanitate adhuc gaudebat, menses profundere consueverat. Fluxit denique magna eius copia, quae a iusta proportionem cum ordinaria menstruorum aegrotae quantitate haud multum recessit. Sane, qui hanc momentorum quadrigam cum alius generis haemorrhagia conciliaverit, is  
*erit mihi magnus Apollo.*

§. XI. Et quid plura? Quis in scriptis Medicorum adeo hospes est & peregrinus, ut nesciat, infinita mensium, turbato rerum ordine, per loca insolita erumpentium, exempla hinc inde litterarum monumentis esse consignata? Nolumus ea iam cumulare, ubi feminae modo per capitis verticem, modo per frontem, modo per oculos eorumque palpebras, modo per tempora, modo per aures, modo per nares, modo per genas, modo per ductus salivales, modo per maxillas, modo per gingivas, modo per dentium alveolos, modo per labia, modo per mentum, modo per palatum, modo per isthmum faucium, modo per asperam arteriam, modo per oesophagum, modo per dorsum, modo per umbilicum, modo per inguina, modo per vesicam

B 2





cam urinariam, modo per anum, modo per vias haemorrhoidales, modo per naturae muliebris labia, modo per brachia, manus, pollicem, singulosque digitos, modo per crura, genua, pedes, illorumque talos ac digitos, tributum lunare solverunt. Otia nobis heic fecit diligentissimus SCHVRIGIVS a), qui numerosissimas huius generis observationes, apud varios Auctores sparsim obvias, laudabili instituto in unum congeffit b). Parallelas tamen nostrae historias, ubi nimirum catamenia ex mammis profluere, in medium proferre, alienum non erit. Omissis autem, quas SCHVRIGIVS c) iam ex AMATO LVSITANO, ANDREA LAVRENTIO, AMBROSIO PARAEO, IOH. SCHENCKIO, DANIELE SENNERTO, DOMINICO PANAROLO, CHRISTIANO FRANCISCO PAVLLINI, CASP. THEOPH. BIERLINGIO, CORNELIO STALPART *van der WIEL*, IDONE WOLFIO, IOH. NICOLAO PECHLINO & ACHILLE GASSERO collegit, eas duntaxat paucis delibabimus, quas alibi reperire nobis licuit. Ac primum quidem in his locum suo sibi iure vindicat prodigiosum illud & omnem propemodum fidem superans exemplum, a celeberrimo quondam RVYSCHIO d) plus vice simplici observatum, puellae cuiusdam, quae *vivum simul emisit sanguinem per capitis cutem, aures, os, oculos, umbilicum, mammasque*: & quidem ex his tantum exsaniebat sanguinis, ut necesse foret, vitris, supra papillas impositis, profluentem cruorem excipere. Alterum huic fere geminum exemplum observavit laudatus SCHVRIGIVS e) in ICTI cuiusdam Dresdensis uxore, cui *sanguis menstruus per sputum, nares, oculos, & mammarum papillas, guttatim effluxit*. Tertium denique suppeditat ALBERTI f) matronae cuiusdam, annum aetatis quadragesimum septimum agentis, in qua, *suppressione mensium trimestri praegressa, fluxus, destinatum deferens locum, per sex hebdomades ex mammarum papillis stilabat*. *Materia huius excreta ab initio seroso-flavescent, paululum*



*tulum spissiuscula, in medio guttulae sanguinis nigricantis, & in fine liquor quidam, loturam carniū referens, erat.*

a) *Parthenol. Sect. II. Cap. III. Add. eiusdem Haematol. Cap. V.*

b) *Plures de insolitis mensium viis scriptores excitat Vir πολυμαθής α-  
τος, TRILLERVS, in Progr. quo locum HIPPOCRATICVM e  
Lib. VII. de morb. epidem. de mensibus per nares Leonidae filiae e-  
rumpentibus, ab imprudenti autem Medico cum ipsius interitu infelicitate  
repressis, explicat. pag. 5. not. e. Quibus nos addimus GEORG.  
WOLFG. WEDELIVM in Disp. de suppressione mensium. Cap. V. pag.  
25. seq. & IOH. ADOLPH. WEDELIVM in Diss. de viis mensium  
insolitis. Ien. 1745.*

c) *Parthenol. loc. cit. §. II. & Haematol. loc. cit. §. XIX.*

d) *Advers. anatom. Dec. III. Obs. III. pag. 13. seqq. Tom. I. opp.*

e) *Parthenol. Sect. II. Cap. VIII. §. IV.*

f) *Disp. de casu menstrui fluxus anomali, animique pathematibus pertur-  
bati. pag. 10.*

§. XII. At quae causa est, cur menses aegrae nostrae, consueta sua familiarique via prohibiti, praecise per mam-  
mam exitum quaesiverint? Praecipuam causam in laxitate &  
debilitate huius partis, utpote exulceratae, sitam fuisse iu-  
dico. Constans enim lex hydraulico-mechanica est, ut  
fluida eo tendant, ubi minimam inveniunt resistantiam, ibi-  
que, qua data porta, erumpant. Ita mammae illae, per  
quas WOLFIVS, PECHLINVS & GASSERVVS menses  
profluxisse observarunt, pariter fuerunt exulceratae. Et  
matrona illa, cuius ALBERTI mentionem facit, in turbis  
bellicis fugae se committens, in milites quosdam vagabun-  
dos incidit, qui hostili ac crudeli modo pecuniam, vel alia  
pretiosa, tecta involutaque quaerentes, mammas eius tam  
ferociter contrectarunt, ut lac, ob statum lactationis prae-  
sentem, ad aliquot passus extorqueretur, unde sequenti  
tempore non pauca his in locis pertulit incommoda, & sub-  
sequentibus puerperiis ferme omnibus mammaram exulce-  
rationibus vel abscessibus vexata fuit a). Atque eandem





ob rationem suppressi menses nunc per vulnera *b)*, nunc per apostemata *c)*, nunc per ulcera *d)*, prorupisse observari sunt.

*a)* Vid. *Disp. cit.* §. XIX.

*b)* Vid. *M. N. C. Dec. II. An. VIII. Obs. XCVI.* RONSSEVS de primord. vit. human. Cap. XXVIII. KERKRINGIVS *Spicil Obs. LXXXVI.*

*c)* Vid. *M. N. C. Dec. I. An. IV. & V. Obs. LXXV.* THOMAS BARTHOLINVS *Cent. II. Hist. LXXXVII.* IOH. BAPT a LAMZWEERDE *Adp. ad IOH. SCVLTEI Armam. chirurg. Obs. XCVII.*

*d)* Vid. *M. N. C. Dec. II. An. V. Obs. LXXXI.* BLANCARDI *Collect. med. phys. Cent. II. Obs. LIX.* VITI RIEDLINI *Obs. med. Cent. III. Obs. LXIII.* VALENTINI *Nosoc. acad. Cas. XI. §. II.* IOH. SCHENCKII *Obs. med. Lib. IV. fol. 635.*

§. XIII. Praeter adductam rationem haud excludendus est mirificus ille, mammas inter atque uterum intercedens, consensus, quem plura phaenomena, quorum hinc inde in scriptis Medicorum physiologicis & pathologicis mentio iniicitur, extra omnem dubitationis aleam ponunt. Pertinent huc, utut non omnia peraeque evicta sint, effata illa HIPPOCRATICA: *Mulier, uterum gestanti, si mammae derepente gracilescant, abortum patitur a).* *Mulier, utero gemellos gerenti, si altera mamma gracilis evadat, alterum abortu edit, & si quidem dextra mamma gracilescat, marem, sin autem sinistra, feminam b).* *Mulier, menses si cohibere velis, cucurbitam quam maximam ad mammas adpone c).* *Mulier, uterum gerenti, si lac copiosum e mammis effluat, fetum imbecillum indicat. Quod si solidae mammae fuerint, fetum valentiorum significant d).* *Quae fetus corrupturae sunt, iis mammae extenuantur e).* *Si mammarum papillae & rubra circa eas circumferentia pallida fuerit, morbosum esse uteri conceptaculum significatur f).* *Si aqua intercus in uteris innascatur, mammae solidae flaccescunt g).* In primis autem huc quam maxime ad-



adcommodatum est sequens: *Conclusi uteri menses ad mammas remittunt, & ad pectus adscendere cogunt h).* Et quis nescit, mammas, retentis menibus vel lochiis, turgere, sub immoderato autem illorum fluxu detumescere & collabi? Rationem huius consensus, si non ex toto, magna tamen ex parte, in communicatione vasorum mammariorum cum epigastricis, & horum interventu cum hypogastricis & uterinis, quaerendam esse censeo. Quod enim B. JVNCKERVS i) scribit, *vasorum epigastricorum cum mammariis reciprocam anastomofin & communionem in corpore nullam esse, ultro fateri Anatomicos*, id vero tam solide, tum summorum, veterum aequae ac recentiorum, Anatomicorum auctoritate, tum ex iterata sua ipsius *ἀποψία*, refellit Cl. LINDENER k), ut ipse JVNCKERVS l) laudabili candore profiteatur, quamvis istam anastomofin ipsemet nondum viderit, tantum tamen abesse, ut negativae sententiae pertinaciter inhaereat, ut potius testibus *ἀντίπταις* fidem habere nullus dubitet.

a) Sect. V. Aph. XXXVII. & Epid. Lib. II. Sect. I.

b) Sect. cit. Aph. seq.

c) Sect. cit. Aph. L. & Epid. Lib. II. Sect. VI.

d) Sect. cit. Aph. LII. & Epid. loc. cit.

e) Sect. cit. Aph. seq.

f) Epid. Lib. VI. Sect. V.

g) de morb. mul. Lib. I.

h) Loc. cit. Lib. II.

i) Physiol. Tab. XVIII. n. 3.

k) Diff. de communicatione vasorum mammariorum cum epigastricis, sub Ill. BVCHNERI praesidio, Hal. Magd. 1748. bab. Plures, ab ipso praetermissos Auctores, excitat TRILLERVS Disp. de nociva canceri inveterati exstirpatione, novis exemplis demonstrata. §. XVIII.

l) Epist. gratul. Disp. LINDENERIANAE subiecta.

§. XIII. Illustrata morbi nostri pathologia, transimus ad illustrandam eiusdem therapiam. Initium huius fecimus a decocto, quod vocant, sanguinem purificante. Gaudent huiusce





huiusce modi decocta calida, & insigni quidem atque egregia prorsus virtute gaudent, non tantum humores viscidos, vel in imis partium latifundiis haerentes, diluendi ac resolvendi, sed etiam fibras vasorum & glandularum animandi ac stimu-  
landi: quo ipso materia resoluta in motum & progressum cie-  
tur, & per omnis generis emunctoria egregie eliminatur. Celebratissima hoc nomine sunt, quae ideo praecipue etiam in usum vocavimus, *lignum & cortex guaiaci*. Vno hoc me-  
dicamento Americani luis venereae curationem instituunt, optimeque dyscrasiam humorum putredinosam, in illa do-  
minantem, expugnant. Idem in Europa tam diu, donec mercurii usum IACOBVS BERENGARIVS *Carpensis* inve-  
nit, unice ad mali istius curationem fuit adhibitum. Mul-  
tus in commendandis decoctis guaiacinis est immortalis BOERHAAVIUS a), sua, id est, optima fide testans, pessima syphilidis symptomata, ulcera, tophos & cariem ossium, iis feliciter sanari, praesentemque inde medelam promitti posse scorbuto venereo, insigni illi Medicorum scandalo, ubi spe-  
cificum illud antivenereum, mercurius, aegrotos quam cer-  
tissime ad orcum demittit, uti quam plurima funesta exempla me docuerunt. Quid multa? In ipso cancro lignum sanctum  
virtutem suam testatam reddidit. HARRISIVS b), opti-  
mae notae auctor, cancrum mammaram ope pulveris, ex ligno sancto, radice sarsae parillae & santalo citrino constan-  
tis, ab se curatum refert. Et Chirurgus quidam Scoticus c) carcinoma iam exulceratum decocto guaiacino saturationi per-  
fecte persanatum memoriae prodidit. Neque reticenda est *bardanae radix*, mirae omnino in corrigendis humoribus fe-  
roso-limphaticis efficaciae. Vulgo quidem ad temperatiores radices refertur d): sed contrarium demonstrant observatio-  
nes practicae. Sola enim, in paullo largiore dosi propinata, non tantum nifus vomendi, sed ipsos etiam vomitus, exci-  
tat, manifesto argumento, haud vulgarem ipsi inesse virtu-  
tem



tem resolvendi. Similes enim effectus observamus in iis, quae potentius resolventia esse scimus, remediis, v. gr. ex regno vegetabili in herba floribusque arnicae, & radicibus asari, bryoniae, scillae, ex minerali in turpetho minerali & sulfure antimonii aurato. Atque hoc decoctum, quo vires suas efficacius exfereret, liberalius hauriri, immo ordinarii potus loco usurpari iussimus.

a) in praef. ad ALOYSII LVISINI *Aphrodis. Lugd. Bat. 1728.*

b) *Diff. med. chir. X. pag 175.*

c) in the medical *Essays of Edinburgh Vol. V. Obs. IX. pag. 69.*

d) V. gr. ab HOFFMANNO *loc. cit. Cap. IV. Thes. therap. IV.*

§. XV. Singulis decocti libris, quovis mane hauriendis, instillari praecepi guttas quinquaginta mixturae, ex essentia myrrhae non alkalisata & tinctura antimonii acri compositae. Feci hoc eo consilio, ut humores, in primis sanguinem menstruum, a mamma revellerem. Quam diu enim humores ad partem aliquam adfectam adfluunt, tam diu illius persanandae nulla spes est. Adhibita medicamenta scopo meo convenientia fuisse, liquido adparet. Myrrham in pellendis catameniis, lochiis, haemorrhoidibus, mira praestare, nemo est, qui nesciat. Hinc etiam ingreditur in pleraque composita, adversus harum haemorrhagiarum retentionem usurpari solita, qualia sunt elixiria proprietatis, elixir aperitivum Clauderi, pilulae polychrestae balsamicae, spleneticae, cet. Mihi quidem tam felici esse non contigit, ut fluxum menstruum provocarem. Hoc tamen non obstante, usui myrrhae insistendum esse iudicavi, non dubitans, eam alio respectu plurimum esse profuturam. Praestat quippe, & mirificam quidem praestat, virtutem balsamicam, putredini adversam, suo eapropter iure ad cancrum tam extrinsecus, quam intrinsecus, a B. IVNCKERO a) commendata. Tinctura antimonii acris inter efficacissima militat resolventia. Excellit praecipue magnis virtutibus diureticis, eamque ob causam





in omnibus vitiis seroso-limphaticis, ubi humores per col-  
lum renale via commodissima evacuantur, haud sine insigni  
fructu adhibetur. Lues venerea, glandulae induratae, scabies,  
ipsa lepra, efficax in stibio inveniunt remedium. Quid ni igitur  
in carcinomate etiam exoptatam praebeat medelam? Atqui re-  
apse iam praebuit. Mentionem facit *Speſtatiffimus* DN. DECANVS,  
*Exc.* D. D. GMELINVS *b)*, casus cuiusdam, gratiosae Facul-  
tati Medicae Tubingensi, ut consilium circa istum transcribe-  
ret medicum, transmissi, qui occultum mammae cancerum  
concernebat, ubi e communi Facultatis concluso tinctura illa  
antimonii concentrata, quae Cl. D. D. IACOBI auctorem  
habet, proposita fuit, & vere plurimum boni & levaminis  
praestitit. Ultimo loco commemorandae sunt *pilulae Becche-  
rianae*, magnam suo merito famam adeptae, quas singulis heb-  
domadibus bis terve adsumi praecepi. In omnibus exulce-  
rationibus non utilia modo, sed necessaria esse cathartica, res  
ipsa loquitur. Humores enim impuri copiosi, nisi e corpo-  
re eliminantur, nocente adfluxu suo consolidationem remo-  
rantur, immo plane impediunt. Eximia sunt hanc in rem  
HIPPOCRATIS *c)* verba: *In magna ulcerum parte inferiorem  
alvum purgari convenit, & in vulneribus, quae sunt in capite,  
& in ventre, & in articulis, & in quibus sphaceli periculum  
est, & in his, quae consuta sunt, & in exedentibus ac serpen-  
tibus, & in aliis inveteratis ulceribus.* Quoniam vero non  
omnia promiscue medicamenta huic fini conducunt, pilulas  
laudatas, ex extractis amaricantibus & gummatibus balsami-  
cis paratas, eo libentius elegi, quo testatiores sunt illarum  
vires aperientes, resolventes, & quas praeterea ab initio  
quidem speravi, uterinae.

*a)* Chirurg. Tab. L.

*b)* Disp. de tincturis antimonii minus usitatis, utcumque saluberrimis. §. XX.  
pag. 35.

*c)* Lib. de ulceribus Sect. II.



§. XVI. Extrinsecus, coniunctis armis hosti truculento resistendum ratus, mammam fovi *aceto lithargyrii*, partesque exulceratas *linamentis siccis* deligavi. Singula haec *topica* seorsim perlustrare iuvabit. *Acetum* in cancro plurimum conducere, nemo infitiabitur, qui saniei cancriferae indolem perspectam habet atque cognitam. Explosa hodie est Pathologia illa, quae, ut omnes propemodum morbos, ita & cancrum, ab acido derivavit: evictum autem, atque exquisitis Chemicorum demonstrationibus confirmatum, corruptionis tam horrendae causam aliam non esse, nisi materiam alkalescentem, summe acrem, causticam a). Alkalicae corruptionis s. putredinis certissima & tutissima antidota sunt acida, sive internum, sive externum ab iis petas praesidium. In febribus castrensis, nosodochialibus, aliisque malignis, acida, succus citri, acetum, oleum vitrioli, sunt sacra ancora. In gangraena ceteris remediis valentiora sunt fomenta, ex herbis amaris cum aceto cocta. Quibus positis, quis dubitet, quin acetum, quod putredini semper & efficaciter resistit, etiam ulcerum cancriforum tabum obtundat atque invertat? *Saturnina* omni aevo adversus cancrum & commendata, & bono cum successu usurpata fuerunt. Inter medicamenta, ad aperto carcinomatis ulceri imponenda, PLATNERVS b) nominatim ipsum nostrum lithargyrium cum aceto laudat. *Idonea*, inquit, *est compositio, quae habet acetum, quod argenti spumam excepit, & oleum rosarum, quale vulgo linimentum nutritum adpellant.* Ingreditur idem in linimentum illud, quo D. D. SANCHEZ c) partes cancro exulceratas inungi praecipit, compositum ex aceti lithargyrii uncia una, sacchari saturni scrupulo dimidio, succi sempervivi maioris, recens expressi, uncia una, & unguenti nutriti sesquiuncia. Nec nullos inde sperari posse effectus, facile consentiet, qui ad vires saturninorum, quas in ulceribus praestant, attenderit. Primum quippe ichorem tetrum profluentem imbibendo, ea sensim exsiccant, nec ulterius serpere pa-





tiuntur, novaeque sanae carnis incrementum promovent; deinde vasa relaxata, & ex parte oscula rupta & erosa, blande constringendo, tonum illorum, ad sanationem perficiendam tantopere necessarium, restitunt, & denique refrigerando molesto illi doloris sensui, qui miseros aegrotos tam crudeliter divexat, exoptatum adferunt levamen. *Linamenta sicca* imposita duplicem ferunt opem, tum, quod vitiosos humores ex parte imbibunt, tum, quod aëris adflatum, omnibus ulceribus ac vulneribus summe damnosum, avertunt.

- a) Legi heic in primis meretur *Disp. inauguralis Exper. D. D. GAERTNERI de specifica methodo recentiore cancerum sanandi*, sub praesidio *Cel. D. D. GMELINI 1757. bab. §. XXI. seq. Conf. HEISTERI Disp. cit. pag. 16.*
- b) *Inst. Chir. §. 274.*
- c) Vid. GAERTNERI *Disp. cit. §. I.*

§. XVII. Effectus horum medicamentorum, quem diaetae iniunctae observatio adcuratior plurimum adjuvit, is fuit, ut, usu illorum per aliquot hebdomadas continuato, ichoris copia sensim minueretur, partes putredine corruptae paullatim abscederent, & tandem pus laudabile proflueret. Equidem non dubito, plurimos fore, qui, lecto hoc phaenomeno, ad eam cogitationem deducantur, ut non veri nominis ulcus cancerosum, sed aliud quoddam cacoëthes, a me sanatum esse iudicent, pro certo nempe exploratoque habentes, in vero carcinoma te exulcerato suppurationi locum non esse, in primis, quum ὁ πᾶν BOERHAAVIUS a) graviter pronuntiet: *Tota Chirurgia & Medicina desiderat medicamentum ad cancerum, ut suppuretur, vel in ambitu, ut aliquando in anthracibus fit, vel, ut substantia eius vertatur in pus, & tamen continuum non solvatur. Sed, proh dolor! nullum datur, quidquid nonnulli, ut in primis Chemicum, iactent. Sic habui Medicum Chemicum mihi amicum. Ille dicebat, se habere medicamentum, suppurationem bonam efficiens: sed vidi, eum in tribus casibus aequae infelicem fuisse, ac ullum*  
aliu



*alium Empiricum. Se tamen adhuc curare posse suo medicamento putabat, licet contrarium videret. At vero ipsum tale remedium reapse habuit celeberrimus ille carcinomatum, uti nominabatur, Medicus, PETRVS ALLIOT, Barroducaeus, Vir rerum medicarum & chemicarum peritissimus, qui generosioris cuiusdam feminae mammillae sinistrae, a teterrima cancri pertinacissimi sanie per integrum iam iam quadriennium immane quantum peresae, insperfit quotidie albicantem quemdam pulvisculum, sibi soli notum: unde post horulae spatium levis coorta febricula, quae tamen mox cessavit, & quietem aegrae indulgit. Ita continua pulveris huius insperione sesquimensis effecit, ut vulneris labra ex livido in rubicundulum terminarentur colorem, & ichor serosus paullatim in coctum laudabiliter pus verteretur. Quo facto vulgaribus sarcoticis, ministrante Chirurgo, plagam consolidavit b). Similem in modum Vir & splendidissima amplissimorum munerum dignitate, & vasta in primis consummataque rerum medicarum iuxta & litterariarum scientia eminentissimus, suoque merito celebratissimus, Ill. GERHARDVS van SWIETEN c), adducit exemplum cancri exulcerati in mamma pauperculae, ubi per quindecim menses liquido quodam sustinuit malum, ut vix in deterius vergeret. Vidit in marginibus suppurationis vestigia, & pars quaedam separata cecidit, fundo adparente puro. Interim spes concepta decollavit, auctaque putredine, paupercula ad plures migravit. En duo gravissima omnique fide dignissima suppuratorum ulcerum cancroforum exempla! Causa, quamobrem haec ulcera suppurationem respuant, non est quaerenda in loco, quem occupant. Alias enim nulli umquam partium glandulosarum tumores eam admitterent: quod tamen secus se habere, vel solae parotides & bubones venerei testantur. Ipsa etiam mammarum ulcera ex scirrhis nata tam benigna subinde sunt, ut pus in iis laudabile coquatur d). Solet hoc potissimum evenire in subiectis sanis & vegetis, nulla fontica humorum impuritate infectis. Vnde*





facile intelligitur, causam in ipsa natura & indole humorum esse positam. Fac iam, dyscrasiam humorum opportunis remediis corrigi, eorumque acrimoniam rodentem inverti, & ulteriorem progressum quovis modo impediri, an dubium esse potest, quin ulcus malignum hac ratione paulatim in benignum, saniesque in pus transeat? Ulcera scorbuticorum omnem Medicorum & Chirurgorum sollertiam eludunt, si- que etiam vi adhibita cicatrix inducta fuit, haec vel iterum rumpitur, vel illa iuxta eam recrudescunt: eliminato autem, qui intus nocet, humore, mutatoque corporis habitu, facili negotio persanantur. Eodem modo ulcera, ossi vel periosteo vitiatum supernascentia, nullam, vel instabilem, reddita autem his sanitate, facilem & firmam recipiunt medelam. Ecquis igitur in ulceribus cancris idem evenire posse desperaverit?

a) *Prax. med. Tom. II. pag. 243.*

b) Sunt haec ipsa verba testis non auriti, aut rerum harum imperiti, sed oculati, praesentis, & qui visa sibi loquitur, ut ipse scribit, insimulque haud proletaria medicinae & chemiae cognitione instructi, ideoque tanto magis plenam fidem meritori, eruditissimi OLAI BORRICHII, qui haec ipsa, suo tempore Lutetiae Parisiorum publice gesta, memoriae prodidit in *Act. med. Hafn.* per THOMAM BARTHOLINUM publici juris factis, *Vol. I. Obs. LXXII. pag. 160.* ex quibus eandem historiam THEOPHILVS BONETVS transtulit in *Med. Septembr. T. II. Lib. IV. Sect. XI Obs. VI pag. 158. seqq.*

c) *Comment. in BOERHAAVII Aph. Cap. de cancro.*

d) *Vid. HOFFMANNVS loc. cit. Obs. VIII.*

§. XVIII. Reliquum est, ut eodem quaestionem, cur menses, ex mammae cancrisae pupilla profluentes, adhibitis remediis emmenagogis, inde quidem revulsi, nec tamen per debita loca amplius promoti fuerint. Equidem in ea sum sententia, ut consuetam fluxus illius emanationem in hunc ipsum temporis articulum incidisse arbitrer. Quamvis enim regulariter catamenia circa septimum demum aetatis septenarium manare desinant, id tamen ita perpetuum non est, ut



ut haud prostant longe maturius desinentium exempla. In aegrota nostra id eo facilius usu venire potuit, quod & a termino emanationis ordinario haud longissime abfuit, nec temperamentum sanguineum habuit, & denique magnam virium iacturam, morbo tam gravi tamque diuturno vexata, fecit. Ego interim haud immemor, cancos facile repullulare, immo non raro circa illud tempus demum ingruere, quo menses ob aetatem non amplius fluunt, serio illam hortatus sum, ut quovis anno quater venae sectionem institueret, singulis mensibus pilulis Beccherianis aluum subduceret, diaetam, per morbi decursum observatam, continuaret, potusque ordinarii loco decoctum quoddam temperatius, ex ligno & cortice guaiacino, radice chinae, althaeae, scorzonerae, cichorii, rasura cornu cervi, & passulis minoribus conflatum, biberet. DEO, summo Archiatro, qui curae nostrae ex alto benedixit, sit laus & gloria in sempiternum!







PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMO ATQUE  
EXPERIENTISSIMO

DN. CANDIDATO

S. P. D.

PRAESES.

**T**angenda omnino esse qualiacumque carcinomata, adeoque vere medica quoque, prudentiorum artis salutaris peritorum quis non adfirmaverit? Etquis horum praeterea negaverit, theoriae & praxeos medicae carcinomata esse eorum dogmata & tentamina, qui, quae vulgarem suam medendi methodum respuunt mala, vel suspectis minusque tutis, vel plane nocivis adgrediuntur? Quasi piaculum non foret, primariis Artis nostrae principiis neglectis, forte fortuna sanare, adeoque & forte fortuna perimere, quasi sc. ius vitae & necis penes ipsos esset, & quodam veluti privilegio liceret animas humanas negotiari, & heroico nimis ausu experimenta per mortes agere, quin saepe, Eumenidum furiarum instar, hominibus vitam eripere. Quasi non impium illud esset desperationis consilium, quod male sana illorum audacia hisce effert:

Flectere si nequeo Superos, Acheronta movebo.

Ab utraque cancrosa hac medentium labe TE, EXPERIENTISSIME DN. CANDIDATE, immunem esse, satis superque perspicere mihi licuit ex illis, quas mihi recensuisti, morborum TIBI oblatorum historiis, methodisque medendi adversus illos adhibitis. Idem nemo non mecum perspiciet vel ex sola hac TVA dissertatione de cancro inaugurali. Neque enim nimis timidus, secundum erroneum illud de cancro: Noli me tangere, non tetigisti aegrotae TVAE carcinoma, neque tetigisti illud manu temeraria & tentaminibus frivolis. Peccatur vulgo utroque modo, & hodie quidem posteriori maxime, ut parum absit, quin



quin ipso cancro malignior magisque canerosa dicatur de illo doctrina, theoretica aequae, ac practica. Rem paucis comprehendam. Cancer aut sanabilis adhuc est, aut insanabilis. Qui radicitus sanari amplius nequit, sive occultus fuerit, sive apertus, in illum neutiquam quadrat vulgare illud: Noli me tangere. Is saltem admittit postulatque curam sui palliativam. Sanabilis aut sine ferro, aut non, nisi cultro chirurgico, curari potest. Qui sine ferro removeri potest, is huic sane non est subiiciendus. Qui non, nisi ferro, extirpari potest, in eo omnia reliqua in cassum tentantur. Quo igitur, quaeso, casu locum amplius invenient corrosiva illa, quae vel nocentissima philtrea potius sunt, vel alius generis vera venena? Quae si non tollunt solo ferro tollendum malum inveteratum, multo sane minus tollent ferro tolli nescium, & cui duro hoc cuneo opus non est, id certo tutoque tollitur planiore, mitiore, inque Artis principiis dudum satis fundata medendi methodo. Cedant itaque hinc pessima ista artificia! Faceffant hinc cum auctoribus suis ista veneficia, artis salutaris opprobria!

Odi profanum vulgus & arceo.

Haec perhorrescens, non TIBI modo, conscientiaeque & famae TVAE, sed & aegris TVIS rebusque medicis in universum melius profecto porro consules. Ita bonus bonis omnibus ubique eris acceptissimus. Ita praxin TVAM, quam magna cum laude adhuc exercuisti, porro fortunabit salutis nostrae AVCTOR SUPREMVVS. Ita, Eius gratia adiutus, ipsemet sub illa eris omni ex parte beatissimus. Id quod singulari in TE amoris adfectu precor. Vale.

Dabam e Museo d. XVIII. Mart.

1763.

D

Dum






Dum Meditrina TIBI summos impertit honores,  
Adplaudit meritis voce manuque TVIS

MATTHAEVS GOELZ, I. V. C.

Legionis Wirtembergicae LVDOVICIANAE  
Iudex militaris. Opp.




*Cancrosis methodo qui simpliciore mederis,  
Iure TVO duplici dignus honore manes.*

Posuit

IOH. FRID. CLOSS,

Phil. D. & Med. Cand. Opp.



Historiam mammae scribis, cui cancer inhaeret,  
Qui raro Medicis obsequiosus erat.

Perge indefesso studio, & mala plurima tolles,  
Ingeniique TVI non sterilefcet ager.

Gratulabundus posuit

IOSEPHVS SCHWEICKHARTVS,

M. C. Opp.




Arte doces cancrum mammarum tollere. Felix  
O sic debelles semper Amazonidas!

Pos.

ALB. FRID. FAVLHABER,

Vlmanus, M. C. Opp.



Fortiter in docta decertans, PETRE, palaeſtra,  
A Phoebō ex merito laurea ſerta refers.

Amicitiae ergo posuit

IOH. GVIL. SCHLEGEL, Oeting.

S. S. Minist. Cand.

